

dixi, excluderet ordinationem ad finem supernaturalē, et consequenter etiam omnia dona gratiæ supernaturalis excluderet, non tamen esset aliena ab illo statu ornatissima Dei providentia, qua et reddit convenientia præmia bene operantibus, sicut reddit supplicia peccantibus, et subvenit indigentibus, præsertim facientibus quod in se est, et unicuique creaturæ providet juxta suam capacitatem. Neque enim putandum est in naturali providentia, etiam secluso ordine gratiæ, non fuisse futurum discrimen inter rationalia et irrationalia; nam quod Paulus dixit: *Numquid de bobus cura est Deo*, utique comparatione hominis, verum est, non solum de hominibus per providentiam gratiæ gubernatis, sed etiam de illis sub solo ordine providentiæ naturalis, et ordine ad solum finem naturalem constitutis; quia ad sapientiam et providentiam optimi gubernatoris pertinet, non omnibus eodem modo, sed singulis, juxta uniuscujusque capacitatem, providere. Unde etiam philosophi cognoverunt Deum perfectiori modo habere curam hominum quam brutorum, et inter homines peculiari benevolentia prosequi colentes se et honeste viventes. Igitur intra latitudinem hujus providentiæ contineretur adjutorium illud ad diligendum Deum perfecte intra ordinem naturæ, et ad alia media præstanda, sine quibus naturalis beatitudo obtineri non posset. Quibus consentanea est illa sententia Aristotelis 1 Ethic., capit. 9: *Si aliquid aliud Deorum est munus hominibus, consentaneum est rationi felicitatem ab iis ipsis dari, et eo magis quo cæteris humanis bonis est præstabilius.*

CAPUT XXXVII.

UTRUM SIT ALIQUIS ALIUS ACTUS VIRTUTIS NATURALIS SEU ACQUISITÆ PRÆTER AMOREM DEI, QUI PROPTER DIFFICULTATEM SUAM FIERI NON POSSIT SINE GRATIA IN STATU NATURÆ LAPSI?

1. *Arguitur pro parte negativa ex D. Thoma.*—Hæc quæstio locum non habet in natura integra, nam cum dictum sit in eo statu potuisse hominem suis viribus diligere Deum auctorem naturæ super omnia et potuisse omnia præcepta naturalia servare quovis tempore, et omnia peccata contraria vitare; manifestum est nullum posse assignari opus virtutis naturalis, quod in eo statu fieri non posset viribus liberi arbitrii, quia extrinsecæ difficultates graves seu insuperabiles alienæ erant ab illo statu, difficultas autem intrinseca in nullo actu major reperiri potest, quam in amore Dei super

omnia, et absoluto proposito servandi omnia præcepta. Statum autem purorum naturalium statui naturæ lapsæ quoad hoc æquiparamus, ut satis ostendimus, et ideo de solo statu naturæ lapsæ in hoc puncto tractamus. Ratio ergo dubitandi esse potest, quia D. Thomas singulariter de solo actu dilectionis Dei super omnia dixit, non posse fieri ab homine lapsō sine gratia; ergo sensit hoc esse singulare in illa propter specialem difficultatem ejus. Præsertim quia statim in art. 4 et 8 docet singula præcepta naturalia servari posse, seu vitari singula peccata illis contraria, licet non omnia collective, sine gratia, nullumque excipit, sed quasi supponit exceptionem factam de sola dilectione; ergo exceptio firmat regulam in contrarium, ut propter nullum singularem actum sit necessaria gratia. Accedit tandem quod in ipso amore difficillime ostenditur tanta difficultas quæ moralem impossibilitatem inducat; et ratio qua tandem illam ostendimus, in solo amore super omnia locum habet; ergo signum est hanc necessitatem propriam esse illius amoris.

2. *Pars affirmativa variis exemplis suadetur.*—*Primum exemplum de actu pœnitentiæ.*—*Secundum, de actu amandi proximum absolute.*—In contrarium autem est, quia multi et graves auctores extendunt hanc necessitatem ad quæcumque opera virtutis mediocrem difficultatem habentia, quod præsertim indicant Bellarminus, Vega, et alii supra allegati, circa victoriam gravium tentationum: numerarique solent actus sequentes. Primo, actus pœnitentiæ, qui sit perfecta detestatio de peccato, præsertim propter Deum, nam hic actus haberi non potest sine gratia, cum sit quædam contritio; nam etiam attritio et dolor ex timore non potest sine gratia fieri, ut docet Concilium Tridentinum, session. 6, capite septimo, et session. 14, cap. 4; ergo multo minus detestatio ex amore Dei poterit fieri sine gratia. Secundus est actus amoris proximi, quem, ex præcepto naturali, tenemur diligere sicut nos ipsos, quod valde difficile est, quia hic amor includit illa duo præcipua: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hoc facite illis*, Matth. 7; et: *Quod tibi non vis, alteri non facias*, Tobia 4, in quibus lex fere tota posita est, ut Christus dixit; propter quod dixit Paulus ad Roman. 13: *Qui diligit proximum, legem sine gratia; ergo neque hanc dilectionem habere.*

3. *Tertium de speciali actu amandi inimicos.*

—Tertius et difficilior actus est dilectio inimicorum: nam cum illam commendaret Christus, Matth. 5, dicit illam non carituram mercede apud Patrem; significans semper esse actum dignum mercede supernaturali, ac subinde ex gratia; unde subjungit: *Si diligatis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne et ethnici hoc faciunt?* quasi dicat dilectionem amicorum posse ab ethnicis fieri, quia est accommodata naturæ, dilectionem autem inimicorum adeo esse difficilem, ut per naturam fieri non possit, et ideo in ethnicis et publicanis non inveniri. Unde Hieronymus ibi dixit, *multos imbecillitate sua, non sanctorum viribus, præceptum illud æstimantes putare illud esse impossibile, quia diligere inimicum plus est quam humana natura patiatur.* Quibus ipse virtute respondet, *Christum non impossibilia, sed perfecta præcipere*: quod exemplis Sanctorum confirmat. Unde virtute concedit illud tantum esse possibile per vires sanctorum, quæ sunt vires gratiæ. Amor autem inimicorum moralis et naturalis est, et cadere potest sub præceptum mere naturale.

4. *Quartum de custodia castitatis.*—*Quintum de speciali custodia virginitatis.*—*Sextum de actu profitendi paupertatem.*—*Septimum de profusione vitæ pro non peccando contra legem naturalem.*—Quartum exemplum esse potest de observatione continentia, de qua, Sapient. 8, dixit Sapiens: *Scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* At continentia moralis actus est, nam de continentia castitatis intellexit illum locum Augustinus, lib. de Continent., cap. 17, et epist. 89, quæst. 2, et epist. 95 et 130; ergo aliquis specialis actus moralis est impossibilis sine gratia. Quinto, augetur hæc difficultas in custodia virginitatis, quæ licet non sit sub præcepto, nihilominus est actus moraliter bonus, et ex objecto suo naturalis, et nihilominus haberi non posse sine gratia significavit Paulus, 1 ad Cor. 7, dicens esse donum Dei; et Christus Matth. 19, dicens: *Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est*, ut ponderavit Augustinus in lib. de Continent., capite primo, et lib. de Gestis Palæstini, capite decimo, alias decimo tertio. Sexto adjungi etiam hic potest professio paupertatis voluntariæ, quæ etiam est actus naturalis et moralis, licet non sit sub præcepto, sed sub consilio, quod ratione naturali cognosci potest, et nihilominus fieri non potest per naturales vires, nam pro-

pter illud dixit Christus, Matth. decimo-nono: *Apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia possible sunt.* Tandem afferri potest in exemplum actus dandi vitam pro non violando uno præcepto naturali: nam hoc ipsum est consentaneum rationi naturali, ac subinde est actus ex suo genere naturalis, et nihilominus fieri non potest sine auxilio gratiæ, ut videtur indubitatum.

5. *Assertio generalis bipartita.*—*Unde probetur posterior, quæ simpliciter asserenda est.*—In hoc puncto breviter dico aliquos esse posse actus morales et ordinis naturalis qui propter difficultatem suam fieri non possint cum pura et integra honestate morali sine auxilio gratiæ, hanc vero difficultatem semper reduci ad alteram ex duabus supra tractatis, quæ sunt aut difficultas ex gravi tentatione proveniens, aut diuturna perseverantia cum uniformitate bene operandi, vel in executione facta, vel objectiva proposita, ut actu absoluto et efficaci ametur. Si vero neutrum ex his impedimentis interveniat, non erit necessaria gratia ad aliquem singularem actum naturalem et moralem bonum, aliquando, vel saltem pro brevi tempore, faciendum. Priorem partem, de actu difficili altero ex illis duobus modis, probant quæ supra de necessitate gratiæ ad vincendam tentationem gravem, et ad diligendum Deum finem naturæ actu perfecto diximus: et eam confirmant exempla adducta, ut magis statim declarabimus. Posteriorem vero partem suadent priores rationes dubitandi; et præterea quia actus naturalis non est per se impossibilis viribus naturæ, sed ex accidenti, propter impedimenta occurrentia, ut supra ostensum est: hæc autem impedimenta nulla esse possunt, nisi aut tentationes graves ortæ vel adjutæ ab inordinata concupiscentia, aut tanta continuitas et perseverantia bene operandi, ut moraliter excedat vigilantiam et constantiam humanæ diligentia in corpore mortali et suis viribus relicto, neque alia radix hujus difficultatis hactenus est ratione investigata, aut exemplis ostendi potest. Imo si quis recte consideret, etiam posterior difficultas, quæ est in diuturna boni operatione, provenit quodammodo ex tentationibus occurrentibus, quæ vel affectum vel considerationem ab honestate avertunt; solum est differentia quod prior difficultas provenit ex singulari tentatione gravi, posterior vero potest esse sine hujus modi tentatione gravi, licet non contingat sine successione plurium mediocrium, quarum victoria ipsa continuitate

gravis et difficilis redditur. Quæ omnia discurrendo per exempla adducta clariora fient.

6. *Discutitur primum exemplum de pœnitentia in num. 2 allatum.*—Primum erat de actu contritionis vel attritionis, quem in substantia esse naturalem, si ex naturali motivo concipiatur, et ideo viribus naturæ sine auxilio gratiæ fieri posse, multi Theologi docuerunt, ut tractavi in 4 tom., disp. 3, section. 6, quorum sententiam defendere et approbare visus est Molina in Concordia, quæst. 14, artic. 13, disp. 14, fere per totam, quem in hac parte acriter moderni impugnaverunt. Verumtamen quia de hoc puncto dixi in citato loco de Pœnitent., section. 7, et quia non habet novam difficultatem ad hunc locum pertinentem, brevissime illud expediam. Primo enim supponimus non esse sermonem de actu pœnitentiæ, qui esse possit sufficiens dispositio ad gratiam, seu (quod perinde est) qui fiat, *sicut oportet* ad justificationem consequendam. Nam de hoc actu certum est esse ita supernaturalem, ut non possit fieri sine auxilio gratiæ; id enim aperte definit Concilium Tridentinum, session. 6, capit. 5, et canon. 3, et session. 14, capit. 4, et probatum est late dicta disp. 3, section. 6. Quod aliqui limitant ad illum actum, qui est sufficiens dispositio ad gratiam extra sacramentum, quæ sola est perfecta contritio. Verumtamen longe verius est etiam actum pœnitentiæ, qui tantum est sufficiens dispositio ad gratiam in sacramento, quam Concilium vocat contritionem imperfectam, et nos vocare possumus attritionem Christianam, haberi non posse ex viribus arbitrii sine speciali Spiritus Sancti auxilio. Id enim multo magis est consentaneum Concilio Tridentino, session. 14, capit. 4, et sequitur ex generali principio, quod nullum opus conducens ad salutem fieri potest sine auxilio gratiæ: et præterea hoc late disputatum est et probatum dict. 4 tom., disput. 5, section. 1 et 2. Quomodo autem hi actus sint supernaturales, et an circa eadem objecta materialia vel formalia possint fieri aliqui actus naturales sine auxilio gratiæ, tractandum est in libro sequenti. Hæc ergo omnia ad præsentem disputationem non referunt, sed præmittenda necessario fuerunt, ne quis nominibus contritionis et attritionis confundatur, et ad damandas probabiles vel etiam veras opiniones moveatur.

7. *Primum pronuntiatum circa dictum exemplum pœnitentiæ.*—Unde probetur.—In præsentem ergo solum tractandum est de pœnitentia,

seu detestatione peccati, quatenus præcise est contra legem naturæ, et quatenus ex aliquo modo naturali potest displicere: tunc enim tam materiale quam formale objectum naturalis ordinis est. Sic autem communis opinio est dari posse actum naturalem pœnitentiæ sine auxilio gratiæ, ut probavi in dicto tom. 4, d. 3, sect. 7, quia non est major ratio de hoc actu generatim sumpto, ut loquimur, quam de communibus actibus aliarum virtutum acquisitarum: et præter antiquiores Scholasticos, qui fortasse in hoc excesserunt, ex modernis id pro comperto habent Cajetanus, Soto, Cano, et alii, quos citato loco retuli. In hoc autem ordine naturalis pœnitentiæ, distinguuntur quædam perfecta et alia imperfecta. Perfecta erit detestatio absoluta peccati propter Deum summe dilectum; omnis vero alia, ex alio motivo vel alio inferiori modo concepta, erit imperfecta. Priorem vocant aliqui naturalem contritionem seu acquisitam, ut Soto in 4, d. 17, quæst. 2, art. 5, et ita etiam videtur loqui Molina supra. Alii vocant attritionem, ut Scotus et Cajetanus. Sed priores loquuntur per comparationem ad naturalem pœnitentiam imperfectam, et nomina actuum pœnitentiæ infusæ accommodant cum proportionem ad actus pœnitentiæ acquisitæ; posteriores autem generaliter vocant attritionem omnem dolorem peccati, qui non formatur charitate infusa vel habituali, vel actuali; re tamen vera, prout illæ voces nunc significant dispositiones ad gratiam, actus ille nec contritio est, neque attritio, neque ita est vocanda simpliciter, sed cum addito *naturalis* seu *acquisitæ attritionis*, quamvis, inter doctos ubi de re constat, non sit de vocibus contendendum.

8. *Secundum pronuntiatum.*—De hac ergo pœnitentia perfecta in ordine naturali, dicendum est esse actum naturalem, et per se non excedere vires physicas liberi arbitrii. Hoc facile probatur ex dictis de amore, nam hic actus est effectus illius amoris per se necessarius ut amor sit verus et efficax, si præcessit Dei offensa. Unde sicut intentio et electio finis sunt ejusdem ordinis et virtutis, ita etiam hic dolor de peccato propter amorem Dei est ejusdem ordinis naturalis cum ipso amore, ac proinde per se cadit sub naturalem facultatem voluntatis: et quoad hoc vera est communis opinio Theologorum de contritione acquisita, seu naturali, si tantum consideretur in ordine ad principium proximum per se, seu physicum: nam de hoc principio ratio facta convincit.

At vero si sermo sit de possibilitate morali, quæ sit etiam in homine lapsus, sic idem sentendum est de hac pœnitentia quod de amore naturali; nam ut sit in suo ordine perfecta, debet includere propositum nunquam amplius offendendi Deum, ejus mandata violando, et ideo sine auxilio speciali non potest esse magis absoluta et efficax quam ipse amor, sed ad summum haberi potest cum illa conditione, seu limitatione: *Propono vitare peccata, quantum in me est*, etc. Et hoc solum videntur sentire auctores supra citati, præsertim recentiores, ut Medina, Bannez, atque etiam Molina.

9. *Alvarez, l. 6, disp. 52, in probationibus primæ conclusionis immerito in prædictis Molinam impugnat.*—Aliqui vero, qui impugnant Molinam, etiam hujusmodi actum sic limitatum negant fieri posse per vires naturæ, quia impossibile est quin sit efficax ad observanda omnia mandata, et vitandum omne peccatum, saltem pro illo instanti quo talis actus fit, vel pro tempore quo durat ipse, aut virtus ejus. Sed hoc nullum inconveniens est; quis enim negavit unquam posse hominem lapsum, per rationem et liberum arbitrium vitare omne peccatum pro aliquo instanti aut brevi tempore, præsertim quando nulla gravis tentatio urget? Quicumque enim bene operatur, quamdiu sic operatur, non peccat; potest autem homo lapsus interdum bene operari per suam libertatem, et consequenter pro tunc non peccare; quid ergo mirum quod, dum quis dolet de peccato propter Deum naturaliter dilectum, necessario pro tunc non peccet? Nullus ergo negat quin talis dolor sit efficax ad impediendum peccatum, quamdiu ipse durat. Sed quia hæc efficacia est tantum ad instans, vel ad breve tempus, pro quo talis actus vel virtus ejus durare possit, ideo non dicitur simpliciter efficax, neque omnino absolutus, ut satis supra de amore declaratum est.

10. *Tertium pronuntiatum.*—*Suadetur.*—Et hinc a fortiori constat pœnitentiam ex motivo naturali imperfecto vel minus perfecto posse fieri viribus naturalibus. Hoc patet rationibus factis, quia si motivum naturale est, species actus est naturalis, et ex hac parte possibilis physice per vires naturæ: aliunde vero potest esse actus talis, ut in eo propter imperfectionem ejus cesset moralis difficultas vel impossibilitas; ergo talis actus erit simpliciter possibilis: et inductione declaratur, nam potest esse dolor de peccato adulterii, verbi gratia, solum propter turpitudinem quam habet contra rationem naturalem, quod motivum

naturale est, et potest afferri eo tempore quo homo actu non sentiat repugnantiam, nec pensionem ad talem actum; cur ergo non poterit talis actus fieri aliquando per vires liberi arbitrii, sicut potest fieri alius actus moraliter bonus? Neque enim talis actus esset sufficiens dispositio ad gratiam, etiam cum sacramento, quia non esset attritio Christiana, seu ex motivo supernaturali, de qua Concilium loquitur, ut in citato loco explicavi. Idem a fortiori verum est de dolore minus perfecto ex inferiori motivo, ut si quis doleat de peccato propter infamiam, ægritudinem, vel alia damna inde contracta: nam hic dolor, licet ex objecto formali videatur indifferens, potest bene moraliter fieri ex honesto fine, idemque est de similibus.

11. *Limitantur proxime dicta.*—Solum oportet advertere etiam in hoc ordine imperfectæ pœnitentiæ naturalis, posse esse aliquem actum qui sit absolutus et efficax, includatque propositum non violandi amplius legem naturalem; ut hæreticus fide humana credens penas inferni, si illas etiam naturaliter odio habeat et fugiat ex vi naturalis amoris quem ad se habet, etiam poterit detestari peccatum ex timore illarum pœnarum, quæ detestatio, si esset efficax, includeret absolutum propositum amplius non peccandi. Hunc autem gradum perfectionis, etiam in illa specie, attingere non potest sine auxilio gratiæ, propter ea quæ supra diximus de amore, non tantum amicitia, sed etiam concupiscentiæ, eadem enim ratio in præsentem locum habet. Unde tandem concludimus nullum actum pœnitentiæ naturalis esse absolute impossibilem sine viribus gratiæ, nisi in quo eadem difficultas quæ in amore Dei naturali et super omnia invenitur, propter inclusum propositum non violandi amplius legem naturalem.

12. *Expediatur secundum exemplum de amore proximi, in eodem numero 2.*—*De prædicto amore proximi primum pronuntiatum.*—*Secundum pronuntiatum.*—Secundum exemplum erat de amore proximi, quod eadem proportionem expediendum erit. Nam dilectio proximi quædam est supernaturalis, qua tenemur diligere proximum ut consortem ejusdem beatitudinis supernaturalis, quæ dilectio ad multa se extendit quam dilectio mere naturalis, et ideo certum est non posse haberi sine auxilio gratiæ, et de illa maxime loquuntur Scriptura et Patres; illa vero dilectio non pertinet ad præsentem disputationem, quia supernaturalis est, ut in sequentibus dicam. Alia